

perpetuum alterius directioni se subicit, omnes privatas obligationes à se dimittere censetur; ita citatus Lessius, num. 106.

QUESTIO III.

An praelatus Regularis possit irritare seu dispensare votum Religiosi creati Episcopi?

SUMMARIUM.

- 12 Etsi aliqui affirmant, tamen communis sententia negat.
13 Quod dicimus de Praelatis Religiosorum negamus de prioribus Monialium.

EX his bene inferitur, quid dicendum sit de votis Religiosi creati Episcopi, an valeant irritari à Praelato Regulari? Affirmat Emmanuel Sa, verb. Votum, ubi de votorum irritatione, n. 5. Tamen simpliciter dicendum est, quod talia vota nequeant irritari à Praelato Regulari, quia talis electio Episcopi eximitur à subiectione omnium Praelatorum Regularium, ergo Praelatus Regularis in eum non potest exercere suam jurisdictionem cum jam non sit illius subditus, ac proinde irritari tantum possunt à Summo Pontifice, qui omnium Religiosorum est supremus Praelatus. Ita Suar, tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto, c. 7. num. 10. Sanchez, tom. 1. in Decalog. lib. 4. c. 30. n. 21. & idem dicendum est de Religioso justè ejecto, quia per ejectionem exclusus est ille à regimine Religionis, ac potestate Praelatorum. Ita Sanchez citato, c. 30. n. 26.
Hec, quæ diximus de Praelatis Religiosorum, negamus tamen de Abbati, seu Priorissa Monialium; nam ut jam dixi, hæc poterunt irritare vota Monialium ratione potestatis dominativæ, quæ pollent, non tamen cum eis poterunt dispensare, cum sint expertes jurisdictionis spiritualis.

QUESTIO IV.

Praelati Regulares habent potestatem ad dispensandum in irregularitatibus, sicut & Episcopi.

SUMMARIUM.

- 14 Explicatur nominis etymologia.
15 Undecim sunt irregularitates.
16 Praelati Regulares possunt dispensare in omnibus irregularitatibus in quibus possunt Episcopi cum suis subditis.

Nominis Etymologia incipiamus. Irregularitas deducitur à Regula adjuncta præpositione, in quæ significat privationem, Irregularitas ergo idem est, ac privatio Regulæ, seu extra Regulam juris Pontificii, quod omnes habiles, & sine defectu admittit ad statum Clericalem, qui ergo à tali recta regula deficit irregularis dicitur, ut patet ex text. cap.

1. de sententia & re judicata lib. 6. cap. cum Medicinalis §. final. & cap. 15. qui de sententia excommunic. eodem libro.

Undecim sunt irregularitates, sex ex defectu quinque ex delicto, quas superiori Resolut. quæst. 2. num. 16. & 17. enumeravi, & ideo pro his discendis videnda sunt: & antequam ad singularum dispensationem veniamus, propono hanc regulam generalem.

Praelati Regulares possunt dispensare cum suis subditis in omnibus irregularitatibus, in quibus possunt Episcopi dispensare cum sibi subiectis, ac proinde in hac potestate dispensandi æquiparantur cum Episcopis; Ita concessit Dominicus Pius V. in Constitut. Romani Pontificis 13. 2. & Gregorius XIII. in sua bulla concessa Fratribus D. Bernardi, & referitur in eorum Compendio, verb. Absolutio quoad Fratres. num. 11. Ita Rodrigue, Miranda, Portel, quos citant, ac sequuntur Candidus tom. 2. disp. 24. art. 59. dub. 3. Bordon. tom. 1. Resolut. 10. n. 6.

QUESTIO V.

Irregularitas ex defectu anime triplex est in qua non potest praelatus regularis dispensare.

SUMMARIUM.

- 17 Prima irregularitas est ex defectu usus rationis, & hæc est indispensabilis.
Secunda est ex defectu scientie, si nesciat quæ requiruntur est inhabilis, ac in Religioso non requiritur tanta scientia, ibidem.
Tertia est ex defectu fidei, ac recusat baptizati, si bene instructi fuerint iudicio Episcopi poterunt ordinari, ibidem.

PRIMA Irregularitas provenit ex anime defectu, & hæc est triplex, ex defectu usus rationis, ex defectu litterarum, ex defectu fidei. Prima ex defectu usus rationis, qui tali defectu laborat, & mente captus, jure divino, & naturali ad ordines non potest promoveri, quia eos non valet exercere. Ita M. Cornejo, quæst. 5. de Irregularitate, disp. 3. dub. unico, Bonacina de Censuris, disp. 7. de Irregular. quæst. 1. punct. 1. n. 1. & in hac Irregularitate nec Papa potest dispensare. Secunda est, ex defectu scientiæ. cap. Illiteratos, dist. 36. Concil. Trident. sess. 22. c. 2. & sess. 23. cap. 4. 11. &c. Si autem tanta sit hæc inscientia, ut nesciat, quæ necessaria sunt ad usum Ordinis, est inhabilis ex jure Divino, juxta illud Osee, quia scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Ita Suarez de Censur. disp. 51. Suar. sect. 1. Cornejo, proximè citatus. Quod verò ad Regulares, etsi non bene calleant, linguam latinam bene possunt ordinari ab Episcopo, de quo Lezana, tom. 1. c. 14. n. 2. Ut latius, cum de ordine fuerit sermo, dicam. Per defectum fidei intelligitur Neophytus qui in adulta ætate recenter est baptizatus, Dist. 48. cap. 1. veniens ex Judaismo, Mahometismo, vel Gentilismo. Postquam autem per aliquod tempus bene instructi

instructi fuerint in fide viri hujusmodi non sunt jam irregulares, & bene poterunt arbitrio Episcopi ordinari, cap. Eam. de rescriptis. Ita ex Navarro, Toledo, Sayro, Lezana, verb. Irregularitas, n. 11.

QUESTIO VI.

Qua possunt Praelati circa irregularitatem ex corporis defectu?

SUMMARIUM.

- 18 De corporis defectu quoad saculares pertinet ad Episcopum judicare; quoad Regularem, ad alium Praelatum.
19 Praelati Regulares possunt cum suo subdito dispensare in defectu corporis.
20 Praelati sine valde cauti in tali dispensatione, ne defectu sint malum deformes, etsi non possent regi, & abscondi.

SECUNDA Irregularitatis species oritur ex defectu corporis, sicut enim de ea judicare quoad clericos saculares pertinet ad Episcopum, sic quoad Regulares pertinet ad Praelatum Regularem. ut tenent M. Petrus Cornejo Peirinus, Miranda, Suar. Bartholomæus de Vecchis Layman, quos citat, ac sequitur Diana p. 3. tract. 1. Resol. 73. Qui tamen advertunt, quod liberum erit Episcopo, qui daturus est Ordines, Religiosum eum tali corporis defectu admittere, vel non admittere ad Ordines.

Poterunt ergo Praelati Regulares ex vi suorum privilegiorum cum subdito corporis defectum patiente, v. g. si in facie, vel oculo habeat maculam, vel si ei desit unus digitus, dummodo non sit pollex, vel pes, ut ligneo uratur & si ei desit unus oculus, etiam sinister, ita ut cum apta Missalis dispositione non multum faciem vertat, ita ex privilegio Sixti I V. & aliis in quibus datur amplissima potestas ad dispensandum in omni irregularitate, excepto homicidio voluntario, mutilatione, vel bigamia, ut patet ex multis privilegiis aliorum Pontificum, ut referunt Vecchis in praxi Novitiorum, disp. 9. dub. 2. 1. num. 3. M. Lezana, Peirinus, in mari magno Minorum, n. 144. Bordonius Resol. 11. num. 10. Imò infra referam in hac quæst. Paulum Tertium dantem facultatem ad dispensandum in omni irregularitate, nulla excepta.

Notandum est tamen, quod Praelati valde cauti se habeant in his defectibus dispensandis, quod non sunt valde deformes, & scandalosi, quod non sit ille caducus, magnopere balbutiens, ut non possit bene & integrè proferre verba, nec totaliter surdus, ut notant Avila, Layman, apud Lezanam citatum; in his enim non solet Summus Pontifex dispensare, ut notant Candidus tom. 2. disquis. 24. art. 61. tom. 7. Ex quo bene deducitur contra Navarrum, cap. 27. num. 123. non esse irregularem, qui aures non habet, si eas citibus, vel alio corporis defectum bene regere valet, ita Henriquez, Avila, Coninch. quos citat Diana allegatus, Resolut. 73.

Sylveira Opuscula.

QUESTIO VII.

An illegitimi in Religione sint habiles ad ordines; & an cum eis possint Praelati dispensare ad dignitates?

SUMMARIUM.

- 21 Quinam reputandi sunt illegitimi.
22 Illegitimi secundum jus sunt irregulares ad Ordines: per professionem in Religione approbata tollitur impedimentum ad ordines.
23 Quoad honores, & dignitates dispensatur cum eis in cap. Generali, vel Provinciali.
24 Imò ex multis privilegiis Generalis, vel Provincialis, seu Prior localis cum eis dispensat ad honores, & dignitates.

TERtia Irregularitatis species est ex defectu natalium, unde illegitimi sunt irregulares, & non possunt assumi ad ordines; pro illegitimis autem non reputantur expositi, nec sunt irregulares, ut decrevit, ac declaravit Gregorius XIV. in gratiam confraternitatis pro expositis ut refert M. Cornejo tom. 2. tract. 5. disp. 19. dub. 1. num. 4. Nec est illegitimus, qui nascitur ex parentibus legitime conjugatis, etsi tempore conceptionis non essent conjugati intervenire impedimento dirimente. Ita Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 7. num. 29. Nec censentur illegitimi filii nati ex matrimonio invalido bona fide contracto, ut cum multis Doctoribus tenet Diana part. 1. tract. 2. Resol. 59. §. Nota quarto. Nec filius tenetur credere matri in articulo mortis affirmanti ipsum esse illegitimum. Ita Diana eod. tract. Resol. 50. §. Notandum.

Illegitimi ergo secundum jus sunt inhabiles, & irregulares ad Ordines sacros, hæc Irregularitas tollitur per professionem in Religione approbata, per eamque fit homo expeditus & habilis ad omnes ordines, ex multis privilegiis. Suar, tom. 5. in 3. disp. 41. sect. 1. ex Navarro, & multis aliis M. Cornejo tom. 2. disp. 15. de Irregularitate, dub. 2. Sanch. lib. 5. de præceptis Decalogi, cap. 5. num. 10. M. Lezana tom. 1. cap. 3. num. 2. Hoc etiam extendunt ad usum Ordinum susceptorum in novitiatu ante professionem.

Hæc autem Irregularitas non tollitur in illegitimo, quoad prælaturas, ac honores in Religione, ut patet ex c. 1. de filiis Presbyterorum. Et ita communiter Doctores, tamen juxta concessionem Gregorii XIV. possunt Praelati in cap. Generali, Provinciali, cum eis dispensare, ut ad præfecturas admittantur; & postea idem concessit Gregorius XIV. Societati in Bolla, quæ incipit, Exponi nobis. Et Congregationi Clericorum ministrantium in infirmis, in Bolla, quæ incipit, Illis qui; quæ facultate gaudent cum illis communicantes. Ita Bordon. Resol. 12. n. 3. & n. 48. M. Lezana tom. 1. c. 18. n. 6. Candid. disquis. 24. art. 61. dub. 23.

Imò maxime nota ex Portel. tom. 1. Respons. part. 3. casu 2. c. num. 2. ubi adducit quoddam privilegium Leonis X. concessum Patribus Congregationis Sancti Joannis Evangelistæ

in Portugalia, ut habetur in eorum compendio fol. 9. concedit Pontifex. *Ut admissus ad professionem inter illos, si habet defectum natalium, ipso facto sit dispensatus non solum ad ordines, sed etiam ad omnia solita gubernari per Fratres illius Ordinis, Prioratus, Rectoratus, &c.* Quo privilegio gaudent omnes alia Religiones cum eis communicantes. Pellizar. tom. 2. tract. 9. cap. 3. sect. 4. n. 131. tenet quod Generalis, vel Provincialis, seu Prior localis possit dispensare cum illegitimis, ut ad honores & dignitates assumantur ex privilegio Gregorii XIV. Pro Regularibus ministrantibus infirmis, quod refert Cafarrubias in Bullario tom. 2. Constit. Gregorii XIV. Aliud privilegium ex Sixto IV. concessum Prædicatoribus refert Bordonius Resol. 10. n. 1. Securdum sit. Ubi Pontifex concedit facultatem tam Generali, quam Provinciali, ac Priori locali, dispensandi, *Ut tam ipsi Regulares, quam defectum naturalium patientes prædicti, ad quas-cunque administrationes, & officia eligi, recipi, & assumi, illaque gerere, & exercere libere, & licite valeant motu proprio, & ex certa scientia concedimus.*

QUESTIO VIII.

An in foro conscientie Regulares possint uti privilegiis antiquis ad Ordines suscipiendos ante ætatem designatam à Tridentino?

SUMMARIUM.

- 25 Privilegia antiqua ad ordines suscipiendos minori ætate à Tridentino determinata sunt revocata.
- 26 Quidam graves Doctores negant alii affirmant, & num. 27.
- 28 Fundamenta affirmantium proponuntur.
- 29 Sententia negativa vera, tenenda.
- 30 Etsi Regulares non dispensant ad suscipiendos Ordines, dispensant, ut ministrantur.

25. **Q**uarta species irregularitatis provenit ex defectu ætatis, quam determinavit Sacrum Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 12. Unde quamvis olim Regulares habuissent multa privilegia, ut ad Sacros Ordines promoverentur ætatis anno 22, ut Benedictus III. concessit Benedictinis Vallisolei. Innoc. VIII. Minoribus, Julius I. Minimis, ut referunt Vasquez ad 3. part. disput. 246. cap. 4. Joannes de la Cruz lib. 2. cap. 3. dub. 6. Peirin. de Constit. 1. Julii II. n. 20. Hæc omnia privilegia revocata sunt per Concilium Tridentinum citato loco, sicut & alia, quod eodem die possent suscipere omnes sacros Ordines.

26. Magna tamen quæstio, an saltem in foro conscientie possint Regulares hodie ordinari ante ætatem determinatam à Concilio Tridentino, & an cum eis valeant Prælati dispensare; negativa sententia est communis: eam tenent Miranda tom. 1. q. 39. art. 1. Vasquez p. 3. disput. 246. cap. 4. in fin. n. 43. Portel. in Dubiis Regul. verb. Privileg. num. 64. Miranda in summa

Pellizar.

Cafarrub.

Bordon.

Vasquez. Joan. à Cruce. Portel. Miranda.

tom. 1. q. 39. art. 1. concl. unica. Sa verb. Relig. n. 56. Amicus disp. 2. de ordin. sect. 4. n. 1. Castro Palaus tom. 2. tract. 27. disp. unica, de Ordine punct. 7. n. 9. Rodrig tom. 3. q. 23. art. 6. Villalobos tom. 1. tract. 11. de Ordine, diff. 11. n. 8.

Alii verò e contra affirmant, quod Religiosi hodie possunt uti suis privilegiis antiquis etiam contrariis Concil. Trident. Ita Henric. lib. 7. cap. 24. in Glossa litt. K. Sanchez tom. 2. in Decalog. lib. 5. cap. 4. n. 16. Beja, compendium Societatis, Veiga, quos citat Diana tom. 3. tract. 2. de Dubiis Regular. Resol. 59. M. Fr. Anton. de Spiritu Sancto, in Direct. tom. 1. tract. 2. disp. 1. sect. 2. num. 64. & M. Fr. Franciscus de Fonseca ex illustri familia Eremitarum Sancti Augustini publicus vespertinus Lector in Academia Comimbria, vir magnæ virtutis, Religionis, ac sapientiæ in lectione Sacramenti Ordinis.

Probant hanc sententiam. Quia Pius V. vivæ votis oraculo concessit privilegium Regularium Ministris, etiam contrarium Concilio Trident. pro foro tantum conscientie, & licet Gregorius XIII. postea revocaverit ea, quæ Pius V. concesserat contraria Concilio Tridentino fuit tantum in foro externo pro evitandis controversiis.

Nec obstat id, quod ait Dicastillus tract. 6. de Ordine, dub. 21. disp. 40. Quod Regulares nunquam possunt ordinari contra Trid. in foro interno absque eo quod exeat in externum, quia Provincialis debet dare liceras testimoniales ordinandum habere omnes qualitates juxta Conc. Trid. ad Presbyteratum, v.g. Ad hoc facile responderi Amicus citatur, quod Provinciali far est, ut dicat ordinandum habere omnes qualitates requisitas ad talem ordinem, Nec obstat secundo id, quod objicit Amicus, quia privilegia Gregorii XIII. sunt oracula, quæ per Gregorium XV. & Urbanum VIII. sunt revocata, & annullata. Respondetur, quod licet omnia oracula fuissent per Gregorium XV. revocata, tamen postea ab eodem Gregorio XV. fuerunt confirmata ex certa scientia per Bullam authenticam, ut testatur Peirinus tom. 3. privileg. cap. 12. & ideo illa jam non sunt oracula, sed Bullæ, & ideo non comprehenduntur in revocatione Gregorii ipsius XV. nec Urbani VIII. & ideo ob hæc fundamenta, & alia ait porta, citatus quod hanc sententiam non audet condemnare, nec ego eam condemno.

Tamen prima sententia mihi simpliciter vera videtur, quod hodie Regulares non possunt ordinari, nisi juxta ætatem præscriptam in Concil. Trid. nec in hoc prælati Regulares audent aliquid dispensare. Quia Sixtus V. in sua Bulla contra male promotos, revocavit omnia privilegia pii V. statuens sub gravissimis penis Concilium Trident. observari in iis, quæ ad susceptionem Ordinum maxime pertinent, ut aperte constat ex illis verbis: *Aut ante per ætatem, per sacri Generalis Concilii Tridentini decreta prima torsura, aut cuique Ordini præscriptum.* Et subdit: *Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinacionibus Apostolicis, Et licet Clem. VIII. de anno 1595. prædictum decretum Sixti V. revocaverit, id solum fuit prout derogabat tetminus juris communis ac Conc. Trid. quatenus verò juri*

Henric. Sanchez. Beja. Compend. Veiga. Diana. Fr. Anton. à Fonseca.

27.

28.

Dicastillus. 29.

Amicus.

30.

QUESTIO X.

An Prælati Regulares valeant dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario, vel mutilatione?

SUMMARIUM.

- 34 Ex homicidio voluntario, seu mutilatione etiam justè facta contrahitur irregularitas.
- 35 Prælati Regulares in homicidio voluntario, ac mutilatione dispensant.
- 36 Et hoc tam in homicidio prohibito in quinto Decalogi præcepto, quam non prohibito.
- 37 Possunt dispensare in irregularitate ex abortu.
- 38 Ob homicidium in propriam defensionem non datur irregularitas.
- 39 Loquimur de homicidio occulto.

34. **S**epima species irregularitatis, & prima ex delicto, est ex defectu lenitatis, cum homo præ se non præfert mansuetudinem, ac similitudinem Christi Domini, qui erat valde mitis & humilis corde; hæc autem irregularitas incurritur propter homicidium, vel mutilationem etiam justè factam, vel cooperationem, & etiam notabiliter accelerantem; unde Index secularis cum suo assessore, scriba, seu tabellione, & etiam accusator, ac testis in causa mortis seu mutilationis omnes sunt irregulares de quibus multa tractant M. Cornejo de irregularitate, diff. 11. n. 1. M. Lezana verb. Irregularitas, d. n. 21. 22. & seqq.

35. Prælati Regulares possunt dispensare cum suis subditis in irregularitate contracta ex homicidio voluntario, vel mutilatione. Ita constat ex Bulla Pauli III. pro Benedictinis, de qua egi citato fol. 27. In qua Pontifex concedit facultatem Prælati ad absolvendum ab omnibus casibus etiam reservatis, exceptis contentis in Bulla Cæne, & ad dispensandum in irregularitatibus, quavis causa, vel occasione contractis; unde in casibus excepta vitæ contenta in Bulla Cæne, in irregularitatibus nullam fecit exceptionem; ergo possunt dispensare in omni irregularitate, ac proinde in homicidio, ac mutilatione. Idem concessit Martinus V. vivæ vocis oraculo, & Sixtus IV. Prædicatoribus, M. Lezana tom. 5. in mari magno prædicatorum, num. 128. Ita Filiucius, Vecchius, Barbosa, quos referunt, ac sequuntur Bordon. tom. 1. resolut. 13. num. 14. Candidus tom. 2. disput. 24. art. 6. dub. 13. M. Fr. Anton. ab Spiritu Sancto tom. 1. tractatu 2. disput. 1. sect. 2. n. 7.

Limitat tamen hanc doctrinam Bordon. citatus, cum Fr. Anton. ad homicidium peccaminosum prohibitorium in quinto Decalogi præcepto, quia simpliciter hoc tantum venit nomine homicidii. Quæ doctrina mihi non placet, quia ex concessionibus Pontificiis colligitur facultas ad dispensandum in omni homicidio voluntario, & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; deinde si colligitur potestas ad dispensandum in homicidio peccaminoso

Cornejo. Lezana.

Lezana. Filiucius. Vecchius. Barbosa. Bordon. Candidus. Fr. Anton.

36. Bordon. Fr. Anton.

juri communi, ac Concilio Tridentino conformis erat, illud confirmavit, ac revalidavit; & ideo concessio Pii V. per Sixtum V. ac Clementem VIII. est revocata, & annullata.

31. Advertendum est, quod quamvis Regulares non valeant dispensare cum suo subdito Religioso, ut ante ætatem Concilii ordines suscipiat, poterunt tamen cum eo dispensare in suspensione contracta ex mala susceptione Ordinum ante legitimam ætatem ex privilegio Sixti IV. & Pii II. in Bulla cum ex sacrorum, quam refert Bordonius resol. 1. n. 26. & adducens pro hac sententia Peiregrin. Portel, & alios, ut etiam habet in eadem sententia Dicastill. tract. 6. de Ordine, disput. 1. dub. 2. num. 305.

Bordon. Peiregrin. Portel. Dicastill.

QUESTIO IX.

Explicantur irregularitates ex defectu Sacramenti, id est Bigamia, ex defectu lenitatis, libertatis, ac bonorum temporalium.

SUMMARIUM.

- De Bigamia egi Resol. 27. supra.
- Ex defectu lenitatis dicam quæst. sequenti.
- 32 Servi sunt irregulares, si ordines suscipiant ante ætatem designatam, si nescientes, sunt servi, in his quæ non repugnant sacerdotali dignitati.
- 33 Ex Tridentino requiritur ut patrimonium ad Ordines sacros.

32. **A**liæ sunt duæ irregularitates ex defectu libertatis; servi enim sunt irregulares diff. 5. 4. per totam, de quo late postea Bacconius in 4. distinct. 2. 5. q. 5. Et merito hæc irregularitas ab Ecclesia est inducta; nam servitus maxime repugnat cum suprema dignitate sacerdotali. Si autem servus ordinetur, aut professionem emitat, sciente Domino, manet liber, si autem initietur in minoribus non consentiente Domino, manet servus; si verò in majoribus, tunc acquirit libertatem solvendo pretium Domino, vel alium servum in sui locum tradendo, alioquin adhuc tenetur servire in iis rebus, quæ non dedecent statum clericalem, Ita Navar. Toletus, Sayrus, quos citant, ac sequuntur M. Cornejo disp. 6. de irregul. dub. 1. Bonacina de irregul. punct. 4. n. 2. M. Lezana de irregul. n. 18.

Baccon.

Navarr. Toletus. Cornejo. Bonac. Lezana.

33.

Trident.

Suar. Cornejo.

Alia etiam irregularitas communiter assignatur ex defectu bonorum temporalium, quæ scilicet provenit ex paupertate, carentes enim titulo, vel patrimonio ordinari non possunt propter decretum Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. de Reformatione. Quod minime spectat ad Regulares, quia ipsi ordinantur sine titulo, & patrimonio; imò potius ad titulum; quoad sæculares dicam cum de Ordine fuerit sermo, interim vide Suar. tom. 5. ad 3. p. disp. 51. sect. 3. in fine, M. Cornejo supra, disp. ultima.

Sylveira Opuscula.